



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelia Geographiae Veteris Et Novae**

Parallelia Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 4. Mores subditorum Pontificiorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

eius quoque vina Apiana laudantur. Abundat & lino ex quo Bisus Bononiensis conficitur. Dat & ferri atque aluminis multum, argenti non nihil. Celebrantur tota Europâ Tæniæ argenti textiles Bononienses *le pissement de Boulogne*, quibus stupidis oculis illuduntur. Laudantur quoque Tibialia Bononiensia ex serico, sicut & panni.

FERRARIÆ DUCATVS, frumenta & legumina vicinis etiam populis sufficit. Linum & canabis hic quoque copiosè prouenient. Aër paulò crassior est: ex vrbe Comaclo multi pisces saliti per Italiam sparguntur, & variis eius locis ad Padum anguillæ siccatae, tota Europâ celebres. Hæc tamen regio molestas sentit Padi fluminis inundationes.

NVM. 4. *Mores subditorum Pontificiorum.*

AGRI ROMANI incolæ sicut & VITERBIENSES, & VRBEVENTANI nihil habent diuersum in moribus ob vicinitatem. Omnes Curiæ Romanæ addictissimi, & toti sunt ut in eam promoueant liberos suos. Romani se adhuc gloriantur ad orbem regendum natos, sed eorum plerique putidè prudentes sunt. Ad omnem auram fortunæ mobiles, otiosi, deliciis deditissimi. Vrbs ipsa Roma propter ingentem conueniarum copiam nomine potius quam re Sancta est, vnde extitit illa apud nos parcœmia,

*Bon cheual ny mauuais homme,*

*N'amenda iamais à Rome.*

SABINI aliquid de moribus antiquis videntur retinuisse, animo enim satis fortes; sed quia voluntatibus dediti otium potius, quam arma cogitant.

PERUSINI ingeniosi fætè omnes, liberales, fortes, & ad utramque palladem facti atque nati. Præcipites vulgo creduntur & temerarij. Pisces lacus sui etiam carnibus anteferunt. Mulieres hic totæ sunt in eluendis, & poliendis manibus.

SPOLETINI animosi sunt, & omnibus Italis virtute militari præferendi. Odiorum retinentissimi. quæ etiam ad liberos & nepotes cum haereditate obueniunt. Certè hic plerique se auorum vltores, aut proauorum gloriantur.

PICENTES, *ceux de la Marche d'Ancone*, exteriores satis humaniter excipiunt, quidquid garriat, & mentiatur recens scriptor. Super-

bè h̄ic vestiti incedunt, tam viri quām sc̄eminæ, & suprā quām diuitiæ ferant. Sese omnes impensiùs amant, & omnibus officiis prosequuntur, quod in Italâ parum visitatum est.

**V**RBINATES zelotypiâ supra reliquos Italos dicuntur laborare, erga exterios parum humani, milites sagacissimi, & ad collocandas infidias aptissimi.

**RAVENNATES**, & omnes Romandiolæ populi robusti sunt, & ad arma omnes p̄nè nati, labori deditissimi, industrij, prudentes, sed rebus suis addictiores.

**BONONTENSES** ingeniosi sunt, & ad artes liberales nati, maxime ad Mathematicas disciplinas: omnes philoxeni, liberales omnes. Equitandi peritiâ se supra cæteros Italos excellere perhibent. Hinc pictores atque sculptores toto orbe celeberrimi.

**FERRARIENSES** duri, inhumani, crudeles vulgò creduntur, nec eos Principum humanitas potuit emollire. Naturâ item sordidi sunt, & tenaces.

NVM. 5. *Origo Pontificie ditionis.*

De spirituali Dominio Pontificis nulla difficultas; soli enim Hæretici & Schismatici negant hunc omnibus hominibus præesse in rebus diuinis, & Christianis recte sentientibus est Episcopus Romanus, Archiepiscopus Provinciarum Romanarum, Primas Italæ, Patriarcha Occidentis, totius orbis Christiani Papa, & summus Pontifex. Sed temporale Dominium quando, & ex quo exiterit non est tam facile statuere. Primo certum est mihi, Donationem Constantini quæ à quibusdam illiteratis profertur, ineptam esse, absurdam, & omnium sibilis explodendam. Quomodo enim Imperatores tam pij Romanum obtinuerunt, & ditiones Pontificias retinuerant sibi, liberisque reliquerūt sine impietatis notâ? & si vera esset, non tantum temporale Dominium, sed & spirituale à Constantino videretur accepisse. Hoc igitur longè certius, liberalitatem illam à Regibus nostris initium duxisse, & Pipinum Caroli Magni patrem victo Æstulpho Longobardorum Rege, Stephano tertio Exarchatum Ravennæ concessisse, qui aliter Æmilia dicebatur, continebatque has vrbes (vt liquet ex donatione Ludouici Pij, Ego Ludouicus, &c.) Ravennam, Bononiam, Imolam, Fauentiam, Forum-Popilij, Forum-Liuuij, Cæsenam, Bobium, Ferram.

V Vuuu iij